

Kem 234. (A-24)

23

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
VENAESECTIONIS VSV  
ET ABVSV IN PLEVRITIDE

---

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

CAROLO FRIDERICO  
REHFELD

MEDICINAE DOCTORE ET PROFESSORE REGIO ORDINARIO  
CIVITATIS GRYPHICAE PHYSICO ET H. A. FACVLT.  
MEDICAE DECANO

PRO OBTINENDIS SVMMIS IN MEDICINA  
HONORIBVS

DIE SEPTEMBRIS ANNO MDCCLXXVII.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIT

HERMANNVS LINDERHOLM

HOLMIA - SVECVS.

---

GRYPHISWALDIAE  
LITTERIS ANT. FERD. RÖSE  
REG. ACAD. TYPOG.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

VENAERSECTIONIS VSV  
ET ABVSV IN PLEVRITIDE

AVTHOR

FRASIDE

VIRO EXCALLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DOMINO

CAROLO FRIDERICO

REHFD

MEDICINAE DOCTOR ET PROFESSOR PVBVS ORDINARIVS

CHIRVRGVS CIVILIS PVBVS ET MILITARI

IN VNIERSITATE HALLENSI

PRO OBTINENDIS SVMMIS IN MEDICINA

HONORARIIS

AVTHORITATE AVTHORIS

AVTHORITATE EXAMINIS SVMMI

HERMANNVS LINDENBOLM

HALLIAE - 1770

GEORGIUS WILHELMVS

LIBRARIVS ET PUBLISVS

IN VNIERSITATE HALLENSI





§. I.

**D**e venae sectionis usu ac abusu in pleuritide pro virium tenuitate acturi, ante omnia monemus, de ea, quam *veram* dicunt Medici, pleuritide sermonem tantum nobis hic esse.

De hac autem sequentia, quoad eius ideam, naturam et sanationem generatim spectatam, adnotasse primum liceat; nimirum:

I. Intelligi sub ea morbum, ubi adest dolor in pectoris latere, aut vitroque, aut quod frequentius accidit, alterutro, acutus siue punctorius, plus minusue in parietibus thoracis, et nonnunquam ad scapulas aut cervicem se extendens, cum febre continua acuta, pulsu duro, respiratione impedita ac dolorifica, nec non tussi fere continua, initio plerumque sicca, dolorem illum, quoties accedit, maxime exaugente; dein plerumque, si res satis bene cedit, cum excretionem sputorum, morbum soluentium, coniuncta.

II. Naturam eius consistere in inflammatione vera pleurae, superficiei pulmonum externae, ut et quandoque musculorum intercostalium;

lium; quemadmodum morbi decursus, symptomata et dissectiones cadauerum eo mortuorum clare docent; et ab ista inflammatione et dolore illum pungentem, et respirationem laesam cum tussi, et febrim acutam cum pulsu duro, indiuiduum omnis pleuritidis verae comitem, vt signa huius morbi pathognomica oriri.

III. Causam itaque proximam agnoscere sanguinis in arteriis minimis dictarum (N. I.) partium congestionem, impactionem, stagnationem, cum valido eius per vim reliqui cruoris celerius nunc moti adritu, variis causis remotioribus, praedisponentibus, occasionalibus, productam.

IV. Veram hinc sanationem, siue optimam huius morbi in sanitate mutationem id imprimis requirere, vt sanguis vasis impactus haerens, sine horum laesione, benigne resoluatur, et aut in circulum redigatur naturali assimilatus, aut, diuersimode mutatus, per varias a natura indicatas excretionibus destinatas vias e corpore eliminetur a).

V. Hoc quidem nonnunquam solis naturae viribus perfici, quoties nempe hae satis fortes adhuc sunt, nec magna adest morbi vehementia; sed

VI. Saepissime tamen artis conamina hic requiri, et hinc medico hunc morbum fausto omine curaturo, optima quaeuis tentanda esse remedia, quo dictum (N. IV.) scopum assequatur.

## §. II.

a) Id imprimis, saltem magna ex parte, per sputa fieri, de quibus ad N. I. dictum est, tertio vel quarto die plerumque primum procedunt, initio tenuia, mucosa, cum striis sanguinis plus minus tincta, dein alba et crassa magis reddita, ob ea, quae in sequentibus de venae sectionis recto usu occurrent, monendum a nobis est.

## §. II.

Nunc quidem, ut dictus (§. praec.) resolutionis finis obtineatur, eo praecipue dirigenda a Medico est remediorum adhibendorum vis, quo partim cruor stagnans diluatur et dissoluatur, partim vasa eo op-  
 pleta inebiliora reddantur, partim autem impetus sanguinis a tergo  
 aduenientis sedetur et aliorum derinetur; sicuti id e generali omnium  
 inflammationum, inprimis internarum, Therapia, ad eam pleuritidis  
 applicata, patet. Quemadmodum autem inter haec tria id, quod vl-  
 timo loco posuimus, praecipue plerumque est attendendum; (quod  
 hic generatim ponimus, infra adcuratius desinituri); ita varia quidem  
 a variis medicae artis cultoribus remedia hunc in scopum fuere exco-  
 gitata, quorum egregium vsum multiplex experientia sat confirmatum  
 reddidit. Horum tamen efficacissimum et maxime fere heroicum in  
 venae sectione, tempestiua inprimis, larga, copiosa atque interdum  
 pluries iterata, dudum medentes iam reppererunt. Repetitae enim  
 obseruationes, dictitante simul sana ratione, docuerunt, in hac ope-  
 ratione decenter administrata maximam feliciter sanandae pleuritidis  
 vim esse positam, et vix non semper, ad exoptatum huius morbi  
 eventum obtinendum, eadem opus esse; e contrario autem, omissa,  
 aut nimis sero instituta Phlebotomia, ut plurimum curationi obicem  
 poni, omniaque fere caetera remedia nequidquam esse profutura.

## §. III.

Quantacunque autem venae sectionis in pleuritide instituendae ple-  
 rumque adit necessitas, et quam egregia quoque sint emolumenta,  
 quae in sanando hoc morbo, ab ea decenter administrata obtineri pos-  
 sunt; minime tamen ex altera parte negandum quoque est, maxima



interdum, experientia testante, aegrotis morbo illo decumbentibus  
 damna ex ea adferri posse, si vel ea abutatur Medicus, vel inconside-  
 rate nimis eam instituat, non habita ratione circumstantiarum, quae  
 eam contraindicant, vel ad ea, quae in eius administratione ratione  
 temporis, morbi, copiae emittendae sanguinis etc. quam maxime  
 sunt adtendenda, animum non aduertat. Quapropter, ut eo melius  
 decentem eius usum definiamus et a minus congruo, siue ab abusu  
 distinguamus, primo necessitatem et indicantia venaessectionis in pleu-  
 ritidae generatim ex effectibus et indicantibus generalibus huius reme-  
 dii, e Therapia generali breuiter adductis, declarabimus; dein de  
 iis, quae rectum huius remedii usum, tam generaliter, quam specia-  
 lius concernunt, verba facturi sumus; quibus expositis, abusum deni-  
 que huius remedii, e circumstantiis, venaessectionem in pleuritide  
 contraindicantibus, patentem, subiungemus.

#### §. IV.

De necessitate et vtilitate venaessectionis in quacunque fere pleu-  
 ritide vera fusioem sermonem hic facere velle, supervacaneum forte  
 videri posset, cum ea satis superque a celeberrimis in arte viris demon-  
 strata iam sit, neque facile nostris temporibus quispiam detur in arte  
 versatus, qui eam non agnoscat, aut cum Helmontio venaessectio-  
 nem supervacaneam vel damnosam iudicet. Attamen, quo adcura-  
 tius rectus huius remedii in morbo nostro usus a nobis definiatur,  
 haud abs re erit, paucis verbis paullo vberius illam considerare, com-  
 parando ea, quae in sananda pleuritide secundum regulas artis quam  
 maxime facienda Medico indicantur, cum iis, qui pro medendis mor-  
 bis a sanguinis missione expectandi sunt, effectibus. Diximus autem  
 iam



iam (§. II.), in pleuritide vera, cum eius natura consistat in inflammatione vera, iuncta cum febre continua acuta, cuius resolutionem benignam quam maxime anniti debeat Medicus, eo praecipue, secundum generalis Therapiae regulas, redire indicationes, quo cruor stagnans resoluatur et diluatur, vasa meabiliora reddantur, et impetus sanguinis a tergo advenientis moderetur et aliorum deriuetur; diximus etiam, ultimam harum indicationum praecipue esse attendendam. Namque non modo plerumque in hoc morbo febris inflammationem praecedat, et hinc haec ab illa, siue ab impetu humorum, protrudente sanguinem lentore inflammatorio donatum in loca adfecta, praecipue est producta; sicuti doctissime cum *Boerhavi*o *b)* monet *van Swieten* *c)*, cui etiam adsentit *Tralles* *d)*; et hinc huius impetus humorum imprimis ratio est habenda; sed etiam facile patebit consideranti, ab impetu hocce, praesertim graniori, nisi citissime sedetur, tum vasculis obstructis nimiam vim inferri, quo inflammatio in suppurationem vel gangraenam perquam facile tendat, quam maxime hic cavendam, tum actioni corporis ad vitam summe necessariae, respirationem puta, pergrave saepe impedimentum obici, haud diu sine pertimescendo vitae periculo ferendum: praeterea autem omnia, ad resolutionem cruoris lentelcentis et stagnantis, pariter ac ad vasorum laxationem adhibita remedia, licet optima fuerint, tamen effectum nequaquam sufficienter posse exserere, quamdiu nimia adhucdum vi sanguis movetur et ad partem adfectam vrgetur; sedato vero et aliorum deriuato impetu, reliquis remediis occasionem dari, quo facilius operationem inten-

*b)* Aphor. de cognosc. et cur. morbis N. 228.

*c)* Commentar. P. I. ad hunc num.

*d)* Vñs opii Sect. II. p. 202.



intentam abfoluere queant. Nunc vero fi falubres effectus illos confideramus, quos in medendo venaefectionem in corpore noftro producere Therapia generalis docet, adparebit, eam optime indicationibus dictis fatisfacere. Namque, non tantum maffae fanguineae copiam, vbi ea abundat, falutariter imminuit phlebotomia, fed, dum vafa nimis turgida deplet, hinc actionem eorum in fanguinem, vbi ifta excedebat, debilitat et infringit, calorem et aestum temperat, et impetum, vti in toto, ita et verius partem quandam prae caeteris directum, praecipue fi in vicinia huius, amplo inflicto vulnere, fufcipitur, refraenat et aliorum derivat, hinc vasis nimium oppreffis exercitium contractionis reddit; quare etiam, vbi a nimia fanguinis ad partem quandam congefione et adpulfu dolor, error loci, ftagnatio, his omnibus medelam adfert, dolores fedat, fanguine in aliena vafa pulfo, his locum et libertatem concedit, quo fele contrahant et cruorem congefum, modo nondum diuturna ftagnatione fluxilitatem nimis amiferit, in fua vafa repellant, refolutioni igitur inflammationis quam maxime fauet. E quibus omnibus itaque pronò alueo fluit, quam egregium pariter ac neceffarium venaefectio remedium praebeat indicationibus in pleuritide fananda fatisfaciendis; modo copia fanguinis emittatur iufta, vires aegroti adhucdum fatis vigeant, morbus nondum adeo adoleuerit, vt omnem refolutionis fpem abiectam effe cognofcatur, neque alia grauiora adfint contraindiantia, quae eius vsum prohibeant.

§. V.

Neceffitate itaque venaefectionis eiusque vtilitate in fananda pleuritide euicta, ad ea tranfeundum eft, quae rectum huius remedii

9  
vsum in hoc morbo concernunt; quem quidem generatim prius consideraturi sumus, determinando praecipue conditiones in vniuersum spectatas, quae maiorem vel minorem eius euacuationis vsum sibi exposcunt.

Nunc vero ex antecedentibus liquet, euacuationem sanguinis per phlebotomiam ideo generatim esse necessariam, vt impetus sanguinis, tam in toto, quam praecipue versus partes adfectas, s. inflammatas moderetur et avertatur. Sequitur itaque, vt ad decentem remedii illius vsum in genere determinandum, quam maxime attendendum sit ad signa ista, quae impetum illum magis minusue validum esse declarant, quae quippe, quo euidentius certiusque hunc impetum demonstrant, quoque maiorem eiusdem gradum aut vehementiam significant; eo magis, caeteris paribus, necessariam non tantum sanguinis missionem, sed et eo abundantiore aut copiosiore in genere requiri omnino docent. Quapropter signa ista a nobis iam sunt adducenda.

#### §. VI.

Primum itaque signorum illorum (§. praec.) in febris vehementia ponimus, e pulsuum frequentia, celeritate et magnitudine, atque ex aestu corporis grauiori cognoscenda. Hoc princeps fere eorum signorum constituit. Quo validior enim et impetuosior febris, eo exorbitantius tum generatim tum et versus partem adfectam sanguinem agitari intelligitur. Quare ex hoc signo praecipue venae sectionis maior minorue vsum, generatim spectatus erit aestimandus.

B

§. VII.

## §. VII.

Alterum signum (§. V.) pulsus durities praebet cum febre coniuncta. Durities enim pulsus, si vna febris iungitur, ac acutus dolor, semper congestionem aut stasim sanguinis inflammatoriam alicubi factam denotat cum vi liquidi vitalis in vascula obstructa a tergo vrgentis (per principia Semiotica): hinc quo maior ea duritas, eo maiori impetu cruorem ad partem adfectam adpelli cognoscitur, eoque maior quoque in genere erit sanguinis educendi necessitas.

## §. VIII.

Tertium signum ex doloris acerbitate est desumendum. Dolor enim, qui in pleuritide occurrit, semper acutus est et pungitius, licet pro varia grauitate et conditione morbi gradu differat. Eiusmodi dolorem autem, praecipue si in internis partibus residet, semper congestionem et adfluxum validiorem sanguinis ad partes sensibiles significare e pathologicis et semioticis constat. Quare, quo acerbior et acutior dolor, eo fortior cruoris ad partem dolentem adfluxus; et hinc ex doloris huiusce maiori minorive acerbitate praecipuum quoddam eorum signorum erit desumendum, e quo maior vel minor venaectionis vsus declaratur.

## §. IX.

Quartum signum in respirationis difficultate, magis vel minus grauiori est collocandum. Quo difficilior enim, quo impeditior et quo magis laboriosa respiratio, eo magis organa ad actionem hanc facientia impediti et eo impeditius sanguinem per pulmones ferri, eoque maiori quantitate his advehi, inque iisdem visceribus accumulari facile

eile perspicitur, hinc eo magis necessaria esse remedia, quae sanguinem euacuando, adfluxum eius impetuosum versus organa haecce vitalia avertant, colligitur. Eo maior vero ex hoc signo venae sectionis usus indicabitur, si cum respiratione difficiliori anxietas simul ingens adest, vel suffocationis metus, aut spiritus emissus fervorem fecum coniunctum habet.

§. X.

Quintum denique et ultimum praecipuorum eorum signorum ex quibus maior minorve sanguinis missionis usus est aestimandus, e tussis pleuritici conditione et gravitate est petendum. Quae quippe, si aut praeter modum aegrotum excruciat, aut sicca nimis existit vel permanet, cum sputorum eiectione vel nulla, vel admodum difficili, aut cum excretionem sanguinis sinceri est coniuncta, in omnibus his casibus aut valde impeditum sanguinis per pulmones traiectionem, aut nimiam vasorum pulmonalium a cruore congesto et impetuosius adfecto expansionem cum metu rupturae, indicat: et hinc, quo graviora haec existunt, eo magis sibi requirent, ut instituta phlebotomia pulmones a sanguine aggravati liberentur.

§. XI.

Ex his itaque potissimum signis (§. VI-X.) generales regulae habentur, quae decentem venae sectionis usum, eiusque maiorem minoremve necessitatem, generatim determinant. Sed ut haec recte in casu obvio adplicentur, ad alia adhuc est attendendum, quae magis speciatim illum declarant. Et primo quidem huc pertinet, ut attendatur ad conditiones ipsius aegroti decumbentis, et naturales et praeternatu-

ternaturales. Adtendendum nempe non tantum est ad vires aegrotantis magis minusve vegetas, sed etiam ad eius aetatem, temperamentum, habitum corporis, vitae genus, diaetam antea factam, consuetudinem sanguinem mittendi etc. ut et, an alio forsan simul cum pleuritide laboret morbo, venaesectionis usum cautiorem requirente. Ex his enim omnibus non modo maior minorve sanguinis detrahendi necessitas specialius definienda, sed et copia educendi cruoris maior minorve, aut rationes iterandi remedii usum propius aestimandae erunt. Sic v. gr. subiectum validum adultum, cuius vires alio morbo non fractae, temperamento calidiori, habitu corporis robusto, torulo donatum, plethoricum, victu pleno et lauto utens et sanguinis detractionibus adsuatum, caeteris paribus, facilius et abundantius eam enacuationem feret; quod vero aliter se habet cum subiecto debili, aetate infantili, temperamento phlegmatico, habitu corporis tenero gaudente, vel per morbum praesentem, aut alium praegressum, viribus exhausto. An etiam, dum menses et haemorrhoides fluunt, venaesectionem instituire liceat, olim est disputatum. Sed nisi hi fluxus critici sunt, quod e leuamine aegrotantis est cognoscendum, non modo mitti sanguinem tuto posse, sed et necessario debere, si grauitas symptomatum id postulat et alia non obstant, recentiorum experientia euictum est e).

## §. XII.

Neque minus ratio habenda est climatis, aut regionis, vbi aegrotus viuit, nec non variarum anni coelique tempestatum. Sic v. g. obseruationibus constat, pleuritide laborantes, caeteris paribus, maiorem

e) van Swieten Comment. P. III. N. 890.

Tissot avis au peuple. C. de pleur.

forem sanguinis detractionem minus perferre, tempestate humida nebulosa diu continuata, quam ubi sicciior aeris constitutio regnat; quod idem et verum est ratione regionum aut climatum, quatenus huic illive aeris conditioni prae caeteris patent etc. e\*) quin etiam, si pleuritides grassantur, consideratio requiritur epidemicae constitutionis, siquidem obseruatum est, occurrere interdum illius generis morbos, praesertim malignioris conditionis, vel putridae simul indolis, qui vel paruum modo, vel quandoque nullam permittant sanguinis missionem, et v. v. e\*\*).

### §. XIII.

Dein ad decentem venae sectionis usum speciatim determinandum praecipue pertinet, ut temporibus siue stadiis morbi variis recte accommodetur. An omni morbi tempore sanguinem mitti liceat? de hac quidem quaestione varie, praesertim prioribus seculis, est disputatum. In eo quidem omnes conueniunt, optimam esse, quae in principio morbi, quantocyus fieri possit, instituitur. Nec negandum, maximam tunc ab ea expectandam esse utilitatem. Nam non tantum eo confidentius vltiorum vasorum obstructorum laesio praecaveri poterit, quo citius illa administratur; verum etiam vires corporis plerumque satis adhuc tunc vigent, ad euacuationem illam, vel et validiorem, sine insigni earum iactura facilius ferendam; neque etiam morbus ad eiusmodi incrementum tum euectus est, aut stasis sanguinis eum in modum aucta, vel hic ita crassior iam factus, ut resolutio inflammationis, ea operatione facta, facilius obtineri non possit; quin imo, si quam citissime administratur, morbus nonnunquam in pri-

B 3.

mis

e\*) Huxham l. c.

e\*\*) Sydenh. p. 153. v. Swiet. l. c.

mis initiis suffocari quasi quandoque queat. Sed, an etiam in vltiori morbi progressu, praeterlapsis scilicet aliquot, v. gr. quatuor diebus, salua ratione adhuc institui queat phlebotomia? eo praecipue quaestio redit, varie ab autoribus agitata. Hoc veterum plerique, et qui prioribus saeculis secuti eos sunt, quam maxime negarunt. Cum enim viderint, inflammationes communiter eo tempore, nisi resolutae antea sint, in suppurationem abire, eaque inchoata, venaesectio- nem non inutilem tantum, sed nociuam etiam iudicauerint; cum praeterea cognouerint, ab hoc tempore, si res bene cedit, sputa semper magis cocta prodire, neque non in vltiori morbi progressu naturam et alias excretiones criticas saluari morbi cum euentu moliri, venaesectio- ne non turbandas, generalem ex hisce regulam posuerunt, nunquam post quartum diem phlebotomiam in pleuritide esse susci- piendam. Ita v. gr. *Celsus* Libr. II. Cap. X. „Vt aliquando etiam „primo die sanguinem mittere necesse est, sic nunquam vtile post „diem quartum est, etc. vt plures taceam autores, qui similia sere- fenserunt. Sed, quemadmodum tamen contra e veteribus iam *Hip- pocrates* f) in Anaxione venam 8. die secandam curauit, quod qui- dem optimo effectu successit, huncque, praeter alios secutus etiam est *Triller* g) cui quoque haud defuit effectus optatus; ita nunc recen- sitorum plurimi, accuratiori experientia edocti, non amplius ad die- rum numerum venaesectio- nis necessitatem anxie restringunt, sed praeci- pue vehementiae morbi ac symptomatum, nec non virium aegroti- rationem habendam esse docent. Nam etsi quidem omnino in iis morbi stadiis, vbi, re bene cedente, sputa per tussim eiecta magis cocta

f) Epidem. 3. aegrot.

g) vide eius comment. de pleuritide, aegrot. I. p. 99.



cocta prodire solent, vel ubi natura alias criticas euacuationes molitur, cautiores esse oporteat Medicum in venae sectione administranda, ne salutare naturae conatus euacuatione sanguinis inconsiderate suscepta turbet; tamen, ubi iis morbi temporibus magna adhuc adest, vel denuo redit febris, aut reliquorum symptomatum vehementia, nullus certe in eiusmodi casu tum adsumendus coctionis status, sed eruditatem potius summam adesse, aut naturam ad crisin faciendam vel molendam maxime opprimi cognoscitur. Quare, quamuis optima omnino alias censenda sit, quae primis diebus fit, venae sectio; tamen urgente necessitate, si v. gr. febris vehementius saeuit, aut dolor maxime intenditur, l. suffocatio imminet etc. vel haec antea sopita, denuo insigniter reuertuntur, sexto etiam, septimo, octauo die, et vel serius quoque, phlebotomiam instituire oportet; praesertim si primis diebus fuerit neglecta, vel parcius facta, pulsum magna adfit vehementia, nec vires aegrotantes vitalis liquidi educationem grauiter ferant *h*).

#### §. XIV.

Copiae quoque sanguinis, tum in vniuersum in hoc morbo, tum qualibet vice educendi, in vsu venae sectionis specialius definiendo, mentio est facienda. De hoc autem vix certi quidpiam determinari licet. Vehementia morbi ac symptomatum (§. VI-X.) varia, eorumque magis minusve crebrior aut grauior recursus plurimum hic deter-

*h) Tissot avis au peuple §. 50.*

*Eiusdem lettre a Mr. Zimmermann sur l'epidemie courante,*

*Huxbam opera Med. T. II. pag. 177.*

*Platner ars medendi §. 218.*

*Ludwig Institut. Med. Clinicae §. 329.*

*van Swieten C. II. 890.*



determinare debent; praecipue autem e pulsus duritie, plenitudine ac fortitudine varia, dolorum acerbitate maiori minorive iuncta, diiudicandum erit, vtrum maior an minor cruoris copia sit educenda: ratione tamen simul habita conditionum (§. XI. i). In subiecto adulto, viribus valido, ad decem fere vncias *Sydenhamus k)* quantitatem posuit sanguinis vna vice detrahendi, et ad 40 circiter, quae per totum morbum mittatur: illam ad 14 vel 16 vncias alii l). Sed, licet haec omnino in morbo mitiori quandoque sit restringenda, tamen et interdum, vbi is vehementior, maior adhuc quantitas tuto emittitur; sicuti et monet *van Swieten m)*. Quod si in genere pronuntiare quid licet; quamuis non nimis prodigiosum in detractioe sanguinis Medicum esse oportet; praestat tamen plerumque, quae paullo largior est venaesectio, prae nimis parua, vbi prima vice sanguis mittitur et vires vigent. Quare et recentiores plerique, ad imminens animi deliquium vsque, ex pulsus languore et labiorum ac vultus pallore, cum sudore frigido in fronte adparere incipiente, cognoscendum, eam tunc instituentam esse praecipiant n). Sic enim vasis maioribus subito notabilem in gradum depletis, et vi cordis insigniter debilitata, sanguis in vasis obstructis haerens, saltem per tempus quoddam, quam minime vrgetur, hinc locus et spatium ipsi conceditur, quo a vasis,

quae

- i) *van Swieten l. c.*  
*Huxham l. c. p. 163.*  
k) *Oper. Med. Sect. VI. Cap. II.*  
l) *Tissot avis au peuple Cap. IV. §. 49.*  
*Huxham opera physico medica T. II. Cap. II.*  
*Machwids Introd. in theor. et prax. med. P. II. Lib. II. Cap. VI.*  
m) *Comment. T. III. ad N. 890.*  
n) *van Swieten l. c.*  
*Huxham l. c. p. 163.*

quae occupat, liberiori vi nunc contractis, facilius in reliquum circulationis systema repellatur. Sic etiam repetendis venaesectionibus saepe opus vix est. In his autem, si indicantur, instituendis, cautions in quantitate educenda nos esse oportet, nisi symptomata, simili gravitate recurrentia, cum viribus satis adhuc integris, similem denuo quantitatem extrahendam suadeant.

§. XV.

Neque etiam silentio praetereunda sunt, quae rationem administrationis adinent. Pertinet huc primo *locus*, quo optime in pleuritide sanguis educitur; de quo quippe non omnes auctores inter se consentiunt. Veterum plerique venam a parte adfecta remotiorem, v. gr. in pede aut saltem in brachio eius lateris, quod dolenti est oppositum, sitam, secandam esse voluerunt o); sibi persuasum habentes, maiorem inde revulsionem expectandam esse. Sed nostro tempore e brachio lateris adfecti potius sanguinem educi debere a plurimis docetur, et rectius quidem, cum ratio suadeat, revulsionem illam omnino eo fortiorem, celeriore et efficaciore fieri, quo propius ad locum adfectum cruor effluit p). Quare, ubi dolor pleuriticus utrumque latus occupat, in utroque etiam brachio, haud sine ratione

vena

o) Sic v. gr. *Aretaeus* curat, morb. acut. L. I. Cap. X.

p) *van Swieten* l. c. n. 892.

*Tissot* avis au peuple §. 95.

*Triller* Comment, de pleurit. p. 30.

*Renat Moreau* de missione sanguinis in pleuritide, ita et iam *Celsus* l. c. libr. II. Cap. X.

Alii primo in brachio venaesectionem instituendam esse, dein in pede.

Sic *Trallianus* Cap. VII. et *Platner* l. c. p. 218.

*Ludwig* l. c. §. 329. etc.



vena aperitur q). Dein, *ratione vulneris* infligendi, requiritur, ut satis *amplum* hoc sit, quo magis subito cruor effluat, hinc et revulsio melior [fiat, (confer. quae §. XIII. dicta sunt.) Porro optima censetur venaesectio, quae fit corpore aegrotantis quiescente supino; quo praecaveatur, ne tam cito animi deliquium ingruat, ut iusta sanguinis quantitas detrahi haud queat; quin setiam haud parum utile censetur, aegrum iubere, ut respirationem, tussi, suspiriis etc. durante sanguinis effluxu acceleret, quo hic celerius e vena secta prodeat, loco adfecto interim foto vel leuiter perfricto r).

#### §. XVI.

Denique ad decentem usum venaesectionis in pleuritide speciatim definiendum pertinent quoque, quae circa illius repetitionem consideranda veniunt. Notum enim est, post eam, quae prima vice instituitur, venaesectionem, si modo satis larga fuerit, vehementiam morbi et symptomatum, et imprimis doloris acerbitatem plerumque insignem in modum mitigari, imo dolorem nonnunquam penitus disparere quidem, sed saepissime tamen, post aliquot horarum spatium, nunc citius, nunc tardius, haud leuiter, et nonnunquam eadem, qua ante venaesectionem aderat, saeuitia redire; tunc vero, iterata sanguinis educatione, salutariter quidem saepe profligari, idque pluries nonnunquam repeti posse, si crebrius adhuc symptomata recurrant, ut exempla adsint, quater, quinquies et ultra susce-  
ptae

q) Huxham l. c. p. 168.

r) vid. Sydenham de pleuritide p. m. 333.

Boerhave Aphor. n. 890.

van Swieten Comment. ad hunc num.

Huxham l. c. P. I. p. 238, et p. II. Cap. p. 170.

ptae cum aegrotantis lenamine phlebotomiae; attamen haud raro etiam a sanguinis missione, crebrius ob quemque doloris recursum repetita, felicem pleuritidis sanationem praepeditam esse, ut, viribus naturae nimium debilitatis, vel in mortem cito terminata sit, vel saltem in suppurationem abierit. Quare quaestio mota est, quamdiu salua ratione venaesectionem repeti vel potius, quoties eam iterari cum bonis aegroti rebus liceat? Sed hic nullae speciales regulae, ad casum quemcumque applicandae, certo dari possunt. Fuerunt, qui pleuritidem solis repetitis venaesectionibus curari posse ac debere autumarunt, auctoritate *Sydenhami* <sup>r</sup>) innixi, quem vero non rite intellexisse optime monet *van Swieten* <sup>t</sup>). Quare maxima prudentia hic opus. Vehementia recurrentis doloris reliquorumque symptomatum maior vel minor, comparata cum viribus aegroti etc. praesertim vero pulsus magnitudo et duritas, siue fortitudo varia, plurimum hic Medicum in casu quocumque speciali instruere debent. (confer. §. V-X.) Et, sicuti valde erraret, qui ad quemlibet doloris recursum, non habita ratione reliquorum symptomatum et virium aegri, statim ad venaesectionis repetitionem refugere vellet; ita e contrario haud minus imprudenter ageret, qui de iteranda venaesectione dubitaret, ubi dolores, per primam, secundam etc. venaesectionem nondum mitigati, vel post eam recurrentes, insignem in modum adhucdum saevirent, et simul magna adhuc reliquorum symptomatum adesset gravitas, praesertim pulsus fortitudo continuaret, et vires aegroti optime adhucdum vigerent. Plurimum etiam hic determinabit quantitas sanguinis prima vel prioribus emissa venaesectionibus; quae si parciore fuerint,

C 2

omnino

<sup>r</sup>) Sect. sext. C. II.

<sup>t</sup>) Comment. P. III. n. 890.



omnino crebriores adhuc, caeteris paribus, sanguinis missiones permittunt et v. v. Neque omittenda est consideratio qualitatis sanguinis, prima vel prioribus vicibus emissi, an tenuis sit, vix in coagululum abiens, an tenax admodum, fere totus post extractionem concrefcens, vel crusta sic dicta inflammatoria, praesertim densiori aut crassiori tectus, vel quasi totus in talem mutatus. Huic crustae quidem plurimum tribuerunt nonnulli, vt ex eius praesentia vel absentia praecipue necessitatem repetendae venae sectionis definiendam esse reputauerint; scilicet, quamdiu illa adhucdum in sanguine emisso adpareat, tamdiu venae sectiones iterandas; ea vero non amplius visa, ab eorum repetitione desistendum esse <sup>u)</sup>: siquidem ea crusta certissimum signum praebet, sanguinem lentore inflammatorio adhuc valde praeditum esse, et insigni impetu per vim cordis validiorem moueri. Sed quam fallax hoc signum sit, et a quam varia alia causa oriri haec crusta possit, quae scilicet e sanissimi hominis sanguine, mera eius, post educationem, facta concussione, s. forti agitatione facile obtineatur, experimenta *Ruysschii* <sup>x)</sup>, *de Haen* <sup>y)</sup>, aliorumque, qui ea repetuerunt, non docuerunt sola, sed et obseruationes demonstrarunt, quibus constat, nonnunquam, morbo quantumuis leuissimo, tamen crustam sat tenacem crassamque in sanguine emisso oriri, e contrario vero nullam interdum adparere, licet reliqua signa pessimam adhucdum inflammationem certo denotarent <sup>z)</sup>. Quare, quamuis contem-

platio.

<sup>u)</sup> Sic. v. g. *Bagliu* vide eius opera Cap. de pleurite.

<sup>x)</sup> Thef. VI. n. 7. VII. n. 39.

<sup>y)</sup> Rat. Medendi T. I. II. III.

<sup>z)</sup> *Tiffot* l. c. §. 51.

*Huxham* l. c. p. 164. 171.

*van Swieten* Comment. T. I. ad n. 387. T. II. ad 890.

*Vogel* insit. de cognosc. et cur. morb. §. 189.

plationem qualitatis sanguinis emissi haud quidem penitus hic excludendam esse velimus, qui, si tenuis nimis reperiatur, et vix concrefcens, dissolutum, ac ad putridam indolem inclinantem massae sanguineae statum suadere videatur, repetitas venaesectiones haud ita facile ferentem, quam vbi densus admodum est, tenaci ac crassiori crusta donatus, vel ex toto fere coagulatus, hinc maiorem ad inflammationes procliuitatem denotare, et commodius largam eamque repetitam sanguinis detractionem, caeteris paribus, sibi exposcere visus *aa*); tamen his signis, praesertim iis, ex crusta illa desumptis, fidendum non nimis esse putamus, nisi simul alia iungantur. Quin et ex dictis adparere arbitramur, vix certa haberi signa de auxilio venaesectionis adhibendo ulterius vel non, nisi desumpta potissimum e vehementia doloris et reliquorum symptomatum vel eorum remissione, viribusque aegri decumbentis. Vbi autem repetenda certo indicatur Phlebotome, praestabit eam haud diu differre, sed satis cito iterare, quam primum prior morbi vehementia euidenter redit, ne is interim ita increfcat, vt dein auxilium venaesectionis efficacia destituitur. Quapropter etiam, si vehementia ista post primam venaesectionem non tollitur, hancque repetere necesse est, alteram ad minimum post 8 vel 12 horarum spatium instituire optimum erit *bb*).

#### §. XVII.

Quemadmodum itaque, hucusque dictis decentem venaesectionis usum in pleuritide, quantum speciminis limites permittunt, declarauimus; ita et abusus eius remedii vel sponte iam patebit. Sed liceat paucis adhuc verbis eum specialius adtingere, consideratis prius effe-

C 3

ctibus

*aa*) Vogel I. c. §. 198. Huxham I. c. p. 167.

*bb*) Huxham I. c. p. 224. Tissot I. c. §. 50.



Sibus illis nocuis, quos venaefectionem indiscriminatim adhibitam in morborum medela producere posse conpertum habemus. Eorum autem praecipuos hos esse, Therapia generalis declarat, nimirum: quantitatem sanguinis, vbi nec massa nec volumine maior est, praeternaturaliter imminui; hinc, nisi grauitas mali cuiusdam, v. gr. impetus sanguinis vehementior etc. id postulat, vasa plus iusto depleri; ergo eorum actionem in sanguinem contentum nimis debilitari, motum huius per canales, praesertim minimos, difficiliorem reddi, hinc secretiones turbari, sanguinem ad obstructions et stases aptiorem fieri, has vbi factae iam sunt, augeri, vires praeterea debilitari, ergo naturam, optimam morborum medicatricem languidiorem reddi, et saluberrimos eius pro sanandis morbis motus, inprimis in acutis, plus minus infringi, inflammationum resolutionem, quam alias optime iuvat venaeffectio, impediri potius, et vbi eo tempore suscipitur, quo crises, morbum soluturae, nunc instant vel factae iam sunt, tunc has, praesertim largiori sanguiniseducta copia, turbati et in insigne aegrotantis detrimentum impediri, efficique denique, vt praesens morbus vel in alium, sanatu saepe difficiliorem, vel in citam quandoque mortem terminetur.

#### §. XVIII.

Vbicunque itaque eiusmodi in pleuritide sananda adsunt circumstantiae, quibus praesentibus a venaefectione, saltem largiori aut crebriori, recensiti (§. praec.) effectus metui iure possunt, ibi eam aut plane contraindicari, aut tamen admodum cautum ac circumspectum eius vsum requiri patet, ne in abusum vertatur optimum alioquin ad huius morbi medelam faciens remedium. Abutuntur ergo eodem

1) qui



1) qui, licet quidem eius usum generatim recte indicatum cognoverint, tamen in copia sanguinis extrahenda iusto liberaliores se gerunt, in gravitate morbi minori aut mediocri tantum, in subiectis debilibus, viribus exhaustis, phlegmaticis, aetate iunioribus, vel aliis eiusmodi aegri conditionibus. 2) Qui, ad lanceolam nimis prompti, venae-sectionem, quocunque leni rursus accedente dolore, vel ad quodcumque eius reliquum vestigium, indiscriminatim aut iusto crebrius reiterant; non satis ponderando eius doloris magnitudinem variam, aut cum reliquorum symptomatum violentia maiori minorive comparando, aut rationem habendo conditionum dictarum (§. XI. XII.) 3) qui, in ea administranda, animum haud decenter advertunt ad diversa morbi tempora s. stadia, attendendo ad mutationes, quas natura in iisdem, in emolumentum aegri, forte intendit; hinc 4) qui vel et in principio siue primis diebus morbi non satis attendunt, annon forte iam adsint vel moliantur excretionem quaedam criticae, quibus et tunc nonnunquam, licet rarius, solius vegetioris naturae ope, benignioris indolis pleuritis soluitur, v. gr. menstruorum fluor, haemorrhoides, haemorrhagia narium, alui deiectiones etc. cum leuamine aegrotantis succedentes cc). 5) praesertim, qui iis morbi diebus, ubi sputa cum leuamine aegri prodire solent, minus circumspectos se gerunt in ordinanda phlebotome, eamque, ob dolorem adhucdum supersistens, instituendam suadent, si illa vel bene cocta iam excernantur, vel sanguine quidem plus minus tincta adhuc adparent, attamen copiosius et cum maiori facilitate eiciuntur, et vehementia doloris reliquorumque symptomatum sub eorum excretionem mitescit potius, quam quod pergat aut augeatur; 6) qui ad eas etiam evacuationes criticas, vel et metastases,

earum-

cc) van Swieten l. c. §. 888. Vogel l. c. §. 198.




earumque infantium signa, animum non debito modo aduertunt, quae, praeter spuorum eiectionem, diebus insequentibus, iudicatoriis dictis, accidere solent, et quibus morbum praecipue solui obseruatum est *dd*), et, vbi e. g. diebus eiusmodi criticis vrina hypostatica cernitur, vel sudores largiter fluere incipiunt, vel alui profluvia adparent, vel abscessus pone aures, aut sub axillis se manifestant, vel alii huius generis, cum inchoante euidenti symptomatum remissione eueniunt, imprudenti, sine urgente necessitate facta sanguinis per venam tufam profusione, salutare eiusmodi morbi solutiones perturbant aut impediunt. 7) qui, vbi cruor prima vice eductus nimis adtenuatus deprehenditur, aegerque inde debilitatus cernitur, nimis temerarios se gerunt in vltiori sanguinis detractione; 8) denique, qui quando pleuritides populariter grassantur, considerationem non habent constitutionis epidemicae singularis, an forte pleuritis tunc malignioris ingenii sit, quae largas et copiosas venaesectiones haud ita facile, ac aliter, ferat.

§. XIX.

In eiusmodi itaque casibus, venaesectionis vsum vel contraindicantibus, vel saltem maxime dubium reddentibus, alia potius ad dolorem pleuriticum superslitem abigendum eligenda sunt remedia, quibus reuulsio a parte adfecta securius obtineatur; quorum v. gr. praeter interna refrigerantia, vel lenia, pro re nata laxantia, praecipue pertinent cucurbitularum siccarum, vel et quandoque cruentarum, hircidinum, cataplasmatum emollientium, vesicatoriorum, clysterum etc. applicatio; de quorum vero vfu specialius quid adhuc proferre super sedemus. Caeterum lubenter fatemur, multo plura de vfu et abusu venaesectionis in pleuritide, exactius considerato adhuc, adferri potuisse. Sed vetat tempus et specimini figendi limites; prohibet res angusta domi. Ergo manum de tabula.

*dd*) *ibid.*

T A N T V M.





WD 18  
P. CA





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
VENAESECTIONIS VSV  
ET ABVSV IN PLEVRLITIDE



QVAM

P R A  
VIRO EXCELLENTISS.  
D O


CAROLO  
R E H

MEDICINAE DOCTORE ET  
CIVITATIS GRYPHICAE  
MEDIC

PRO OBTINENDIS  
HON

DIE SEPTEMBR  
PVBLICO ERVDITC

HERMANNVS  
HOLM



GRYPH  
LITTERIS A  
REG. A

